



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Disputationes|| ROBERTI BELLAR-||MINI E SOCIETATE
IESV,|| DE CONTROVERSIIS CHRISTIANAE|| FIDEI,
ADVERSVS HVIVS TEM-||poris Hæreticos,||**

Tribus Tomis comprehensæ.||

DE MEMBRIS ECCLE-||SIAE MILITANTIS,|| TRIBVS LIBRIS|| EXPLICATA.||

Bellarmino, Roberto Francesco Romolo <Heiliger>

Ingolstadii, [1599]

VD16 B 1607

XLV. Licere Monachis ex mendicatione viuere.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53880](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53880)

CAPVT XLV.

Licere Monachis ex mendicatione viuere.

DE QVARTO præcipua est difficultas. Oppugna-
uerunt enim acerrimè ordines mendicantium.
PRIMO, Gulielmus de sancto amore apud An-
toninum parte 4. tit. II. cap. 7. §. 5. summæ Theo-
logiæ. SECUNDO, Desiderius Longobardus apud B. Tho-
mam in opusculo 19. TERTIO, Gyraldus de Abbatis villa a-
pud Bonauent. initio Apologiæ pauperum. QVARTO, Io-
annes VViclef apud VValdensem lib. 4. art. 2. doctrinalis fi-
dei. QVINTO, Richardus Episcopus Armacanus serm. 4.
VLTIMO, Lutherus articulo vltimo, & Brentius in Confes-
sione Wirtemberg. cap. de votis monasticis, qui omnes do-
cent, esse extra statum salutis eos, qui redigunt seipfos spon-
tè ad mendicitatem, tum quod exponunt se euidenti peri-
culo moriendi fame, tum quod non liceat eos, nisi fortè æ-
grotent, eleemosynas petere, quæ debentur solùm iis, qui se-
ipfos iuuare nequeunt, tum denique quod lex diuina & hu-
mana reprehendat, & prohibeat voluntariam mendicita-
tem.

At nihilominus vitam religiosorum mendicantium tan-
quam sanctâ & perfectam approbarunt multi summi Pon-
tifices; vt Innocècius III. teste Bonauentura, Honorius III.
Gregorius IX. Innocentius IV. Alexander IV. & Nicolaus IV.
vt refert Ioannes XXII. in extrauaganti, Quia quorundam,
de verborum significatione, necnon Concilium Lugdunen-
se generale, vt refert Nicolaus IV. cap. Exiit, de verborum si-
gnificatione in 6. & Constantiense sess. 8.

Rectè autem fuisse hanc vitam approbatam, ostendemus
sequentibus rationibus. PRIMO, exemplo Domini; nam
Dominus non habuit possessiones, neque proprias, neque
cōmunes, vt patet ex illo Luc. 9. *Vulpes foveas habent, & So-
luces cali nidos, Filius autem hominis non habet sibi caput su-
um reclinet.* Et quod nō operaretur manibus, sed ex eleemo-
synis fidelium vixerit, patet ex illo Lucae 6. *Mulieres aliqua
ministrabant ei de facultatibus suis.* Item ex tota eius vita, si-
quidem natus est in domo alicna, vixit in domibus & ex re-
bus

bus

bus alienis; nunc enim prandebant apud Mattham, nunc apud Simonem leprosum, nunc apud Zacheum, nunc in domo Petri, nunc in domo Matthæi; equitavit in iumento alieno; fecit ultimam cœnam in domo aliena; sepultus est in sepulchro alieno. Vnde Psal. 39. dicit: *Ego autem mendicium & pauper.* Et Psal. 108. *Quia persecutus est hominem mendicum & mendicum.* Quibus in locis est vox מְדִינָה, quæ habet etiam Deuter. 15. ubi dicitur. *Non erit in te mendicium.* Quæ locum pro se adferunt, qui dicunt, illicitam esse mendicantem. & certum est utrumque Psalmum de Christo interpretari, nam priorem allegat Paulus ad Hebræos 9. de Christo interpretari *ipse libri scriptum est de me, &c.* Et posteriorem allegat Hieronymus A. C. I. *Scriptum est enim in libro Psalmorum, Episcopus eius accipiat alter, &c.* Item 2. Corinth. 8. *Propter vos egenus factus est, cum esset dives.* Græcè ἐμώχθη, significat emoluisse, mendicare, unde apud Homerum *Odissæ* δαίτη μώχθηεν, prandium mendicare.

Ad hoc respondent Armacanus, Christum fuisse pauperem, sed non mendicum, & pauperem non amore pauperum, sed quia restrictio Domini eius id exigebat. Dicit enim Christum successisse Adamo in dominio originali, cui repugnabat tam habere proprium, quam mendicare; Adam enim in statu innocentie fuit dominus omnium bonorum terrenorum, sed ita tamen, ut non posset accipere in usus suum, nisi necessaria, nec sibi aliquid appropriare; diuitiarum enim nata est post peccatum. Itaque in statu innocentie non fuissent propria diuitiarum, nec tamen fuissent ulli egeni, vel mendici. Quoniam ergo Christus natus est cum iustitia originali, habuit etiam tale dominium, quale Adam, & ita repugnabat illi habere proprium, & simul repugnabat mendicare, cum omnia essent sua, quantum ad usum, tamen fuit restrictum dominium eius, quia debuit esse sub lege; & fuit pauper, quia non potuit uti suo naturali dominio, obstante lege civili.

Hæc omnia sunt contra apertas Scripturas, & primo, quod Christus verè fuerit mendicus, & caruerit non solum usu, sed etiam dominio temporali rerum terrenarum, patet quia dominium illud originale in bona cõmunia, perierat.

Q. An Christus fuit mendicus, &c.

diuisionem rerum iuste introductam. Nec Dominus accepit dominium politicum more humano, licet dominium diuinum semper habuerit. Itaque fuit verè mendicus, vt ex Psalmis, & ex Apostolo ostendimus. Fuit etiam verè Dominus, saltem in communi cum suis discipulis, eorū bonorum, quæ illi vt mendico donabantur. Quod enim Christus accepit dominium ciuile, & proprietatem, saltem in communi cum Apostolis, earum pecuniarum, quæ sibi donabantur, patet ex Ioan. 12. vbi dicitur Iudas fur, quia vsurpabat sibi pecunias loculorū Christi. At si Christus non habebat proprietatem, nec dominium ciuile, non erat furtum illud Iudæ; nam per solum dominium naturale non magis pertinebant ad Christum illæ pecuniæ, quàm aliæ res omnes.

Denique, quod Christus amore paupertatis, & non ex restrictione dominij fuerit mendicus, planum est; nam quis illum coëgit fieri sub lege? nõne spontè id ipse elegit? quod certè poterat non eligere, si odisset paupertatem. Præterea etiam existens sub lege, nõne poterat facilè ditescere si voluisset? nõne turbæ illum Regem facere voluerunt? cur ergo non habuit, vbi caput reclinaret, & spontè non habuit, si non amabat paupertatem? denique cur Paulus 2. Cor. 8. vocat istam gratiam Domini, si non ex amore, sed ex necessitate fuit egenus?

Dicit SECVNDO Armacanus, si Christus mendicasset, non propterea licere nobis mendicare. Effet enim hoc ponendum inter opera admiranda, non imitanda, sicut quod ieiunauerit XL. diebus sine vlllo cibo. At mendicare, sine vlllo miraculo fieri potest, vt experientia docet; ieiunare autem sine omni cibo, non potest sine miraculo. Ad hæc, non consuluit Christus, vt se imitaremur ieiunando sine omni cibo, consuluit autem vt se imitaremur mendicando, cum ait Matth. 19. *Si vis perfectus esse, vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & sequere me.*

SECVNDO probatur, exemplo Apostolorum; nam illi omnia dimiserunt, Matthæi 19. *Ecce nos reliquimus omnia.* Nec habuerunt possessiones in communi, vt patet Matt. 10. *Nolite possidere aurum, neq; argentum in zonis, nec duas tunicas, &c.* Nec operabantur manibus, sed viuebant ex liberalitate eorum, quibus prædicabant, vt patet ex eodem c. 10.

EEce

Mat.

Matthæi, & 1. Corin. 9. Talis autem est vita mendicantis.
Vnde S. Franciscus, qui cum sancto Dominico primo
ctor fuit huius instituti, pro regula suscepit decimum
Matthæi.

Ad hoc respondent. PRIMO, vitam illam Apostolus
fuisse à Christo institutam ad tempus tantum, nimirum
in Iudæa prædicabat ante suam passionem; nam Luce
Dominus reuocauit ista præcepta, dicēs: *Quando misit
ne sacco, & pera, & calciamentis, nunquid aliquid
vobis? sed nunc qui habet sacculum, tollat, similiter & peram.*
Vnde, & loculos cum pecuniis habuit extremo tempore
patet Ioan. 12. & 13. ex quo apparet, iam tunc abrogata
dixerat Matth. 10. *Nolite possidere aurum, &c.* Sed
obiiciunt, hoc fuisse præceptum, non consilium Euan-
gelicum, proinde non pertinere ad mendicantes, qui se
cōsiliū sequi. TERTIO, Apostoli ex Domini ordinatōe
ex iustitia petebant à populo victum, vt patet ex illo
10. *Dignus est operarius mercede sua.* Et ex 1. Cor. 9. *Quis
litat suis stipendiis vnquam?* ergo non mendicabant. At
fri mendicantes non petunt, nec petere possunt victum
iustitia.

Ad PRIMVM respondeo, siue ad tempus, siue nō ad
pus vitam illam Christus instituerit, inde rectissime colligi
esse licitam, & sanctam, & imitatione dignissimam emen-
tam, nisi fortè Christus ad tempus vitam illicitam institue-
rit. Præterea non est verum, Christum reuocasse vnquam
illam institutionem, quoad modum viuendi; reuocauit quæ-
dam id quod dixerat: *In viam Gentium ne abieritis.* At illa
documenta de non possidendis pecuniis in zona, &c. vnquam
reuocauit, vt patet ex 1. Cor. 9. Quando autem ait Luc.
22. *Nunc qui habet sacculum, tollat, similiter & peram.*
nō iubet vt hoc faciant, sed prædicit illis, tempore passionis
sux futuros eos in tali timore, & perturbatione, in qua
ij, qui non fidunt vlli amico, & ideo sibi ipsi prospiciunt, &
tunicam vendunt, vt gladium emant. Neq; loculi Domini
repugnant illis verbis: *Nolite possidere aurum, &c.* Nam
Nicolaus exponit in cap. Exiit, de verborum significatōe
in Sexto, Dominus vtramque vitam exemplo suo approbas-
voluit, nimirum illam quæ nihil habet, neq; in particulari

neq; in communi, excepto simplici usu rerum donatarum: & rursus illam, quæ aliquid habet saltem in communi; sed vnam instituendo, non destruxit alteram.

Ad SECUNDUM dico, illa verba non esse præcepta, sed consilia, & instructionem ex parte Apostolorum, & aliorum prædicatorum, & simul esse ordinationem, & præceptum, ex parte populorum, vt patet ex declaratione Pauli 1. Cor. 9. vbi dicit, Dominum ordinasse, vt qui Euangelium annunciant, de Euangelio viuant. ex quo colligit, teneri populum ad alendos Euangelistas, & simul dicit, se nõ vsum fuisse hac potestate. ex quo patet, non fuisse præceptum prædicatoribus, vt viuerent ex populi sumptibus.

Ad TERTIUM dico, Apostolos ex Domini ordinatione potuisse aliquando ex iustitia petere à populo sumptus, aliquando ex æquitate, aliquando ex sola caritate. Pro quo nota ex Aristor. lib. 8 Ethic. cap. 13. duplicem esse iustitiam; vnã legitimam; alteram moralem. Legitima dicitur, quando ex lege, aut pacto vnus cogitur alteri aliquid soluere. Moralis dicitur, quando sine pacto, aut lege vnus laborat pro alio, ita vt confurgat obligatio quædam compensandi laborem, sed tamen non possit eum compellere ad eiusmodi compensationem. iam Dominus ordinauit eos qui Euangelium annunciant, de Euangelio viuere.

Hæc ordinatio respectu fidelis populi & ordinariorum pastorum, est præceptum iustitiæ in rigore. quando enim constituitur aliquis pastor, potest populus eum cogere ad spiritualia ministranda, & pastor potest cogere populum ad temporalia danda, & hoc modo poterant Apostoli tanquam Episcopi cogere Christianos ad sumptus faciendos; At respectu populi infidelis, vel pastoris non ordinarij, illa ordinatio non inducit rigorem iustitiæ, sed quandam æquitatem, seu moralem iustitiam, & hoc modo Apostoli quando prædicabant Iudæis ipso Christo viuente, non poterant cogere populum ad sumptus faciendos; nam nec populus susceperat Euangelium, & Apostoli nondum erant Pastores ordinarij; nam adhuc tenebantur Iudæi agnoscere Sacerdotes Aaronicos, & eis decimas soluere. itaque Apostoli accipiebant sumptus ex morali iustitia, vel petebant ex caritate.

EEcc 2

Iam